

SPICILEGIUM PHILOLOGUM.

PRODIDIT

CAROLUS GULELMUS NAUCK,

PHIL. DR.

PROOEMIUM.

Quum nuperrime atque ex insperato id mihi mandaretur, ut libellum aliquem cum hoc scholarum indice edendum conficerem; quumque neque majus quid atque continuum schola suppeditasset, neque ultra hujus curriculi fines liberet procedere: hae occurrebant quaestiones, quas nullo apparatu, nulla doctrina, sic ut in docendo pro-
venerant, in lucem emitterem.

Scimus autem accessisse nonnulla, quae ad res ipsas, de quibus quaerere visum est, non plane necessaria videbuntur, ut quum in evolvendis Graecorum aut Romanorum poëtis nostrates audiendos esse diximus, et si quae his sunt similia. Quae tanto hic facilius veniam impetratura speravimus, quod ad institutionem puerilem, unde haec omnia fluxerunt, vel maxime pertinerent.

Denique si quando acciderit, ut res aliorum iudicio praeoccupatas tanquam integras proposuerim et actum, quod dicitur, egerim: non hoc sumus loco constituti, ut copiosissimae literarum, ut ita dicam, suppellectili comparandae ac fruendae aut temporum aut rerum suppetant facultates.

Scribebam Cottbusii, Id. Febr.

I.

Extricatus Herodoti locus de Croeso Thaletis auxilio Halym nullis factis
pontibus transgresso. I. 75.

Primum haec legens: λέγεται παρόντα τὸν Θαλῆν ἐν τῷ στρατοπέδῳ ποιῆσαι αὐτῷ (Croeso) τὸν ποταμὸν ἐξ ἀριστερῆς χειρὸς ῥέοντα τοῦ στρατοῦ καὶ ἐκ δεξιῆς ῥέειν, non mediocriter haesitavi, praesertim quum et ceteros doctos et Dindorfium sic accepisse et sic esse interpretatos viderem: „Thaletem aiunt, quum in castris adesset, effecisse ut flumen, quod a laeva exercitus fluebat, a dextra etiam flueret.” Etenim si Croeso adversus Persas proficiscenti, quum ipse in sinistra esset fluminis ripa, non a sinistra parte, sed ab dextra ferebatur Halys: quis est, quin statim perspiciat flumen, si, quo transiri posset, divideretur et ab utraque parte praeter castra militum circumduceretur, ita fuisse divisum, ut, quum antea a dextra fluxisset, jam a sinistra quoque esset? Quae illis maxime sunt repugnantia atque contraria.

Neque tamen contra Herodoti fidem, sed contra auctoritatem interpretum rem ipsam atque veritatem repugnare confido. Nam si Homerus, ubi legibus linguae et ratione *μενεαίνων ἐκτείνετο* scribendum esset, *κτεινόμενος μενέαινε* non improbavit, II. 16, 491; si Ovidius, ingeniosissimus poëta, ubi „quis te dolentem consolaretur?” exspectares, „quo consolante doleres?” non inepte ausus est dicere, Met. I, 360; si denique ne ipse quidem Herodotus ab hac in conformandis sententiis vel audacia vel securitate abstinuit, quippe qui, ut uno exemplo utar, I, 32. Solonem dicentem fecerit *ἐπιστάμενόν με — ἐπειρωτῆς*, ubi paullo diligentiore subtilitate *ἐπειρωτούμενος — ἐπίσταμαι* erat scribendum:*) quid obstabit, quo minus hoc etiam loco, quod maximum esset atque praecipuum, id non primario, quod dicitur, verbo efferri, sed in Participio delituisse statuamus? quod quidem, ne pereat tota res, majore voce pronuntiandum esse apparet.**)

*) Sensit hoc Schoellius, qui omnem Solonis sermonem inversum ita transtulit: „O Krösus, indem du mich fragst über menschliches Leben, vergesse ich nicht, wie das Göttliche so gar neidisch und wankelmüthig ist”. —

**) Multo sunt promptiora, sed ejusdem tamen generis illa, quum Solon se quotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri (*Γηράσκω δ' αὖτις πολλὰ διδασκόμενος*), Cic. Sen. VIII, 26., aut quum narratur aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum esse eum dictatorem esse factum, XVI, 56. et simill. plurima.

Itaque quum Halys flumen antea nihil aliud quam ab dextra parte fluxisset, jam Thaletis opera divisus a sinistra fluens simul dexterior fertur, ideoque verborum ὁ ποταμὸς ἐξ ἀριστερῆς χειρὸς ῥέων τοῦ στρατοῦ καὶ (zugleich) ἐκ δεξιῆς ῥέει eadem haec maxime necessaria existit sententia, ac si dixisset auctor: ὁ ποταμὸς ἐκ δεξιῆς ῥέων καὶ ἐξ ἀριστερῆς χειρὸς ῥέει τοῦ στρατοῦ.

II.

Explicatus Herodoti locus de Aegypto nec Arabiae nec Libyae nec Syriae simili. II. 12.

Hic quoque locus, quo τῇ χώρῃ οὔτε τῇ Ἀραβίῃ προσούρω ἐούση τὴν Αἴγυπτον προσικέλην οὔτε τῇ Λιβύῃ οὐ μὴν οὐδὲ τῇ Συρίῃ demonstratur, mirum in modum fefellit interpretes. Omnes enim, quod quidem sciam, ita fere haec reddiderunt, „nec finitimae regioni Arabicae similem esse Aegyptum nec Libycae nec vero etiam Syriae“. Ex quo efficitur, ut Dativum τῇ χώρῃ cum τῇ Ἀραβίῃ, τῇ Λιβύῃ, τῇ Συρίῃ utcumque consociatum ex similitudinis verbo προσικέλην aptum voluisse videantur. Sed ut de verborum ordine praetermittam, quo ipso illud adeo non probatur, ut reprobetur atque concidat: quis unquam τῇ Λιβύῃ χώρῃ pro τῇ Λιβυκῇ dictum admiserit? Quare τῇ χώρῃ esse pro Ablativo, qui limitationis vocatur grammaticis, τῇ Λιβύῃ vero cum ceteris nominibus Substantiva haberi existimantes Aegyptum solo quidem (τῇ γούσει τῆς χώρης, ut est cap. 5.) neque Arabiae finitimae nec Libyae similem nec Syriae esse intelligimus.

Quae res quanquam levicula est atque ea, quae paullo attentius cogitantem praetereat neminem; tamen, quod ibi a doctissimis viris titubatum esset, ne leviculam quidem rem notare supersedi: simul ne, qui gravioribus rebus ingentes operas interponunt, in hisce parvis, id quod multos videmus, justo securiores deprehenderentur.

III.

Vindicata cum Virgilio Quintiliani auctoritas. Virgil. Ecl. IV. 62. 63. coll. Quint. IX, 3, 8.

Haec ita interpretes ad suum accommodaverunt ingenium:

Incipe, parve puer: cui non risere parentes,

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est —

quamvis clarissimo Quintiliani illius testimonio, quod reddita etiam ratione rei confirmatur atque ex omni dubitatione eximitur, non illud, sed „qui non risere“ ab ipsius poetae manu profectum esse evinceretur. Ubi enim istum invenias, qui, quum in ea incidit, quae impedita atque inexplicabilia videbuntur, de sua potius audeat inscientia, quam de incitia quadam et imprudentia suspicari auctoris?

Accidit hoc Quintiliano, ejus quidem de versiculo illo iudicium jam Vossio retissime explosum conclamant. Nam quum de his Virgilio verbis, qualia ille exhibuit, tres viderent sententias ferri, quarum nullam probarent: unam, ut parentes Nominativus

esset et cum qui conjungeretur, quod absurdum est; alteram, ut pro Vocativo acciperetur, quo plane inepta sententia efficitur; tertiam, ut Accusativus esset ex ridendo aptus, quod, quum ridere aliquem sit deridere, arridere alicui non sit, non magis probatur (Voss. Bucol. I, p. 219.); facile a se impetraverunt, ut dormitasse Quintilianum, Virgilium autem illud „cui non risere” scripsisse contenderent. Quod utrumque, quantum quamque sit justum, videamus.

Quaerimus igitur, quid isti, qui non nugatorem aliquem, sed gravissimum testem Quintilianum vituperabant, sua illata opinione profecerint. Hoc scilicet sunt assecuti, ut poëta, quum antea nascentem, de quo agitur, puerum quasi divino quodam mentis instinctu excitasset, ut inciperet risu matri significare eam a se cognosci (Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem: v. 60.); meruisse enim illam hoc, ut filioli risu exhilararetur (Matri longa decem tulerunt fastidia menses: v. 61.); idem nunc (v. 62: Incipe, parve puer: cui non risere parentes, etc.) eadem illa exhortatione repetita id videretur adjecisse, quo non pueros parentibus, sed parentes debere pueris arridere probaret. Quod quam sit perversum ut perspiciatur, profecto non longa disputatione opus est: nisi forte, quod ridentibus arrideant materni vultus, ideo verbis „cui non risere parentes” non parentum magis, quam pueri risum designari dicimus.

Quanto Quintilianus melius, qui et „qui non risere” legit et explicationem verissimam hanc addidit, ut, quemadmodum nonnullis in locis Singulari Pluralis subjungitur (cf. interpretes ad Theocr. Id. 25, 121: *νοῦσος* — *αἴτ'* —), ita hic ex diverso singularem numerum plurali subjunctum doceret. Quod quum haec etiam adjecit: „Ex illis enim, qui non risere, hic quem non dignata”; quid significat aliud, nisi „qui non risere — hunc” pro eo haberi, quod vulgo „qui non risit” vel „si quis non risit” — „hunc” auditur?

Hoc si tenemus — quod tum demum tenetur, si recte distinxis locum neque, ut vulgo fit, post parentes, sed ante parentes respiraveris — omnis, si qua est, difficultas verborum recidit ad *ἀνακολουθίαν* non usitatissimam illam quidem, sed tamen ferendam, sententia vero ad orationis contextum appositissima exoritur. Atque *ἀνακολουθίαν* quidem hanc intelligimus. Quum poëta tale quid in animo haberet: Qui non risere, vel Si quis non risit, hunc parentes — parentes autem deos intelligendos esse manifestum est — non, ut te quidem decet, honoribus honestaverunt deorum, sed e coelesti domo ejecerunt; haec fere dicenti succurrit duo maxime esse, quibus, si qui inter deos essent recepti, auferentur, convictum deorum et deae alicujus conjugium. Itaque inversa subito ea, quam coeperat, sententia non parentes modo tristem puellum a se extrudentes, sed et deum, qui ei negaret epulis accumbere divum, et deam ejusdem cubile dedignantem inducit. Quum vero admodum probabile esse videatur, poëtam id, quod vult, certo aliquo exemplo confirmatum voluisse, non dubitamus, quin puer, qui h. l. non risisse dicitur, describatur Vulcanus, cujus notatam deformitatem Virgilius tristitiam fecerit, itaque jam Pomponium Sabinum, auctorem non contemnendum, accepisse invenio, qui, quanquam et ipse non ferendo Dativo cui indulset, tamen Vulcanum intelligi vult, quem nec Jupiter dignatus sit mensa, nec Pallas cubili, quod infaustissimum ei fuerit.

Quae quum ita sint, locum supra propositum sic restituendum atque sic interpretandum esse duximus:

Incipe, parve puer: qui non risere, parentes —

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est,

— — — „die nicht lachten, einen solchen haben die Eltern — hat weder der Gott des Tisches, noch die Göttinn des Lagers gewürdigt“.

IV.

De poëtica quadam volendi potestate vulgo nescio quo modo extenuata ac disperdita. „Volvere casus“ Aen. I. 9. et „sicolvere Parcas“ ibid. v. 22. qua verbi proprietate dictum esse videatur.

Haec duo explicabunt nostram omnem de ea, quam dicimus, volendi potestate sententiam.

Casus igitur volvere si qui cum Wagnero, viro doctissimo, ita interpretantur: „volvere est ita promovere, ut eadem pars per vices nunc inferior sit, nunc superior; hinc nata est significatio continuae cuiusdam rerum vicissitudinis; volvere casus, alium ex alio tolerare“: haec et similia qui doceant, eos nihil afferre sentio, quum hoc alium ex alio tolerare non satis faciat quaerenti, illud promovere etiam obscurum sit et a poëtica illustratione alienissimum. Sed volvere casus et labores arbitror esse quasi pensum quoddam non defugiendum volvere, glomerare, absolvere et sic denique, ut ait Forcellinius, „unum post alium subire et experiri“. Unde vero haec tam certa quaeris exstiterit nobis sententia? Fatemur, ut in ceteris, ita ad id quoque ducem unum omnium longe praestantissimum fuisse Homerum. Qui quum non semel *τολνπεύειν* vel bella vel labores dixisset in utroque carmine, qua tandem esset ratione volvere casus a Virgilio τῶ ἀεὶ Ὀμηρίζοντι usurpatum, quaerentem non me incertum dubiumque dimisit.

Non eadem plane, sed consimili quadam ratione illum alterum de volvente Parca locum concepimus. Nam quum sorores nendo fila sua mortalium fata dispensantes depingi soleant, *ἐπιτόνσαι λίνω*, ut hac quoque Homeri imagine utar: non temere neque inconsulto hoc volvere (rollen) pro poëtica quadam eaque luculentissima nendi exaggeratione videmur accipere. Quod ita esse ut testificentur, non Romanorum vel Graecorum aliquem, sed nunc ex nostris Goethium citamus atque Uhlandium: quorum ille similiter juga textoria illustrat stridentia („So schaff' ich am sausenden Webstuhl der Zeit“ —), hic simillime fusos circulum volventes fecit non sine ignibus („Die Spindel rollt in feurigem Kreis“.).

Haec eadem quum Jahnio aliquando Lipsiensi, quem virum nunc cassum lumine luget Virgilius, in sermone proposuissem, intelligentissimo earum rerum existimatori probari laetabar. Sed haec sive probantur, sive non probantur, tamen eos, qui se ad veterum scripta poëtarum interpretanda applicuerint, hoc loco de nostratibus quoque audiendis poëtis admonitos velim.

V.

Hic multum fleti ad superos. Aen. VI. 481.

Alium hunc locum, quo accipi posset modo, monstravit Homerus. Etenim flere ad superos quum tam ambigue tamque nove dictum esse videretur, ut grammatici ad hunc diem inter duas fluctuarent sententias et quasi alternis rejecta altera alteram sint secuti, quum superos aut deos intelligerent habitantes in coelo aut pro ipsis hominibus in terra viventibus positum putarent et ad idem quod apud esse dicerent: Homerus quidem haec praeivit Virgilio, quae qui consideraverit, illud, quo modo dictum sit, non amplius dubitabit. Versum dico Homeri ex octava rhapsodia, in quo haec sunt verba: ἦτοι ὁ μὲν κλαίεσκε πρὸς οὐρανόν, cum quo egregie congruit illud, quod est eadem, ut hoc tritissimo verbo utar, constructionis praegnatione in Jobo 16, 20: אֵלֵים - אֵלֵים יָצַד עֵינַי, ad deum lacrimat oculus meus.

Jam si verum est, quod nemo doctus infitiabitur, ut Aeneidis ille auctor ab Homero quum alia multa sit mutuatus, tum vero, quaecunque quadam significationis vel novitate vel proprietate exsplendescant, de Graeco potissimum fonte in suum poëma derivaverit omnia: facile, opinor, apparet, qui legat Virgilium, ei nihil esse prius habendum, quam ut Graecorum non adumbrata quaedam, sed expressa et alacriter insistat vestigia et strenue persequatur. Quo mihi magis admirandum videtur esse, quod pueri, quum Homeri aut nullam aut exiguam admodum mancamque notitiam habent, tum se dare ad tractandam Aeneidem jubentur, postea vero quam exemplar Graecum cognoverunt tantum quantum sat est, ab eadem illa revocantur. Quin vero Maronem in extremum reservamus disciplinae scholasticae biennium? Cum secundi ordinis discipulis quin Horatium potius legimus, id est faciliora quaedam Horatii carmina non sine delectu mandanda? quin Terentium? quoniam facit ipse Tullius Laelium suum Terentiano verbo utentem lubenter. Sed istuc quidem, quantumvis et egere pluribus neque indignum haberi videatur, omitto.

VI.

Caesuram, quae dicitur, in explicandis poëtis minime negligendam esse aliquot Homeri Virgiliique versiculis ostenditur.

Il. I, 598. Hunc versum, quum vulgo post *ὄνοχόει* respirandi signo posito *γλυκὸν νέκταρ* cum Participio *ἀφύσσω* conjungi soleat, nos duce atque moderatrice caesura, quae, quum *ἐφθήμερης* esse non possit, necessario est caesura octava Hermanni (p. 337.), quam *κατὰ τρίτον τροχαῖον* grammatici vocant, sic reposuimus:

ὄνοχόει γλυκὸν νέκταρ, ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσω.

Confirmatur haec lectio eo, quod eadem conjuncta recurrunt IV, 3: *νέκταρ ἐφνοχόει· τοὶ δὲ χρυσέοις δεπέσσω*. Sed *νέκταρ οἰνοχοεῖν* ne cum Passovio nectar pro vino infundere („schenkte Nektar als Wein ein“) interpretere: non magis, quam naves aedificare naves pro aedibus facere, aut *ἵπποι βουκολέονται* XX, 221. equae

pro bubus pascunter. Ut hic aedium et boum, ita illic vini potestatem plane obscuratam atque omissam apparet.

VI, 4: μέσσηγός Σιμόεντος ἰδὲ Ξάνθοιο ῥοάων.

In hoc versu si jubente caesura post Σιμόεντος paullulum respiraveris, non, quae est communis interpretum opinio, Simoentis et Xanthi fluenta, sed Simoentem memorari et Xanthi fluenta, i. e. sola Xanthi fluenta pro Xantho, Simoentem autem ipsum positum elucebit. Est igitur eadem istorum Genitivorum ratio, quae habetur VIII, 560: τόσσα μέσσηγὸν νεῶν ἠδὲ Ξάνθοιο ῥοάων.

VII, 203: δὸς νίκην Αἴαντι καὶ ἀγλαὸν εὖχος ἀρέσθαι.

Omnes, quod equidem sciam, interpretes νίκην pariter atque εὖχος ad reportandi verbum ἀρέσθαι retulerunt: „Da ut victoriam Ajax et praeclaram victoriam referat”. Sed ut probabile est Homerum, si hoc voluisset, δὸς νίκην Αἴαντα κ. τ. λ. scripturum fuisse, ita ipsa caesura primum quidem νίκην, deinde ἀγλαὸν εὖχος ἀρέσθαι ad dandi verbum referendum esse praecipit. Cf. H. in Cer. v. 136: δοῖεν κουριδίους ἄνδρας, καὶ τέκνα τεκέσθαι.

XIV, 29. 380: Τυδείδης, Ὀδυσσεύς τε καὶ Ἄτρεϊδης Ἀγαμέμνων.

Hanc ego distinctionem ab Hermanno, summo viro, positam demiror. Nos, quum haec explicabamus, ut et asyndeton evitarem hoc quidem loco parum commendabile, neve Tydiden atque Ulyxem, nobilissimum ex Dolonea par sociorum, dissociarem, obsecuti caesurae ita legendum esse putavimus: Τυδείδης Ὀδυσσεύς τε, καὶ Ἄτρεϊδης Ἀγαμέμνων. Cf. XIX, 48: Τυδείδης τε μενεπτόλεμος καὶ δῖος Ὀδυσσεύς.

Nec vero levius caesurae Virgilianae momentum.

Aen. I. 54: Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.

Hic Aeolum ventos vinclis et carcere frenantem faciunt interpretes, quum ipse poeta imperio ac vinclis prementem et carcere frenantem fecerit. Nam et ita inciditur versus: Imperio |premit ac vinclis| et carcere frenat, et verum esse illud, quod diximus, certissimus particularum conjunctivarum usus evincit, quibus, si aliud voluisset, sic potius usus foret poeta: Imperio premit et vinclis ac carcere frenat.

II, 370: Primus se, Danaum magna comitante caterva.

Ita edd. Sed si caesura est πενθημιμερής, ut v. 40: Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva, sine dubio est, sic potius audietur: Primus se Danaum, magna comitante caterva.

V, 349: Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo.

Ita nuperrime Wagnerus, quum non modo caesura, quanquam id quidem maximum est, verum ipsa etiam sententia sic jubeat: Certa manent, |pueri (Euryali) et palmam| movet ordine nemo.

VI, 397: Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Hic nonnulli officiose, ut videntur, et amatorie dominam Ditis pro uxore Ditis dictam voluerunt, quum ipsam Dominam, Gr. Πόντιαν, Proserpinam esse totumque versiculum, non quidem cogente, sed addicente caesura, sic efferri appareat: Hi Dominam |Ditis thalamo| deducere adorti.

Apud Horatium quoque Carm. IV, 4, 25., qui versus sic evulgatus habetur: „Sensere, quid mens rite, quid indoles”, ita et numero et sententiae consulatur, si ju-

bente caesura Sensere, quid mens, | rite quid indoles etc. legeris; item IV, 6, 29., si „Spiritus Phoebus, | mihi Phoebus artem” acceperis. —

Sed haec quidem hactenus. Scimus enim ut parvula a quibusdam, qui se criticos potius quam *μικρολόγους* audire malunt, despiciatui duci.

VII.

Quo consilio Horatius illud ad Neobulen carmen III, 12.*) scripsisse videatur. Symbolae quaedam ad nomenclationem Horatianam collatae.

Primum omnium ad Neobulen esse, non, sicut Orellio, viro clarissimo, visum, ipsius Neobules secum loquentis modos illos jucunde flebiles mihi persuasi. Quod ni ita se habet, quid tandem causae subesse dicamus, cur poëta in locum primae personae, quae est in Graeco, quod imitatur, Alcaei archetypo: *Ἐμὲ δειλὸν, ἐμὲ πασῶν κακοτάτων πεδέχουσαν*, substituerit alteram: Tibi qualum etc.? Praeterea, ut poëtam commiserari sortem earum, quibus dulci mala vino lavere denegatum sit, maxime est consentaneum, ita idem puellam conqueri, ne quid gravius dicam, insuavissimum est. Sed multo etiam alienius illud, quod Hebrum ab undis Tiberinis lautum, quod equitantem, quod luctantem, quod venantem commemorari a puella voluerit. An de amicula virum ad ipsas aquas, ad campum, ad retia persequente cogitaveris? Non haec quidem puellae, si quae sunt ingenuae, sive non sunt, praedicabunt. Quanto Margaretula illa Goethiana convenientius! Quae quum celsum incessum, praestantiam corporis, suavitatem oris atque vultus vocisque cantiunculas dixit, denique ad manuum delinimenta saviorumque delicias delabitur.

Quaeritur autem, qua haec ad Neobulen mente poëta quove consilio dederit. Equidem Horatium amici cujusdam studio, quem Hebra nomine commendaverit, ad puellam ab illo adamatam scripsisse dixerim eo consilio, ut jam concessuram amori ac de obsequentia labantem impelleret illique eam patrua domo abductam totam conciliaret. Namque haec fere ait ad id quidem consilii convenientissima: „Miserissima sunt condicione puellae ab amore exclusae. Ac tu quidem capta es! Amas enim, ne tergiversare, amas Hebrum et corporis dotibus omnibusque virorum virtutibus longe eminentissimum“.

Haec sentiola si alio praeterea firmamento egere videatur, id in ipso puellae nomine positum reperies. Scimus quidem a multis multa de nominibus apud Horatium aut ad gratum, ut ajunt, sonum effictis aut e Graecis Archilochi aliorumque exemplaribus sumptis jactari: sed in nominibus id maxime lusisse poëtam, ut personis ipsis, temporibus, rebus quam accommodatissima essent, ex plurimis, quae memorare possum, exemplis ita cogitur, ut nemo tam durus de ea re non concedere posse videatur. Sic factum est, ut apparantem convivium Thaliarchum (*θαλίας ἀρχόν*), senem morosum atque importunum Lycum (alter Isegrim!), turpiculum feneratorum Alphium (*ἀλφαίνω*) fecerit; sic, loquaculas ut Lalagas, tenellas ut Lydias, insipientes ac superstitiosas ut Leuconoas (*λευκαὶ φρόνες*, stultitia!), puellas vixdum viro tempesti-

*) Hoc ipsum carmen, sicut jam dudum persuasum fuerat, *τετροπαιχρον* esse luculenter demonstravit Kirchnerus, V. Cl., in Novis Quaest. Horat. p. 65.

vas Chloas ut dixerit. Quod si in aliis poëtam nominibus secutum esse apparet atque exstat, quis dubitat, quin idem hoc loco puellam de novo vitae consilio capessendo et admonitam et ipsam, ut videtur, dubitantem hanc ipsam ob causam Neobules cujusdam nomine insigniendam esse duxerit?

VIII.

Moriendi verbum Cic. Tusc. I, 8, 15. a conjecturarum temeritate vindicandum videri.

Quum libri omnes in illa conspirarent lectione: „Quia si mori etiam mortuis miserum esset”, etc. eamque lectionem Raphaël Kühner, doctissimus homo et utriusque linguae scientissimus, in priore Tusculanarum disputationum editione intentatam reliquisset, idem in altera auctore, ut videtur, Kritzio Erfurtensi in locum verbi mori Bentleji conjecturam substituendam esse judicavit, his quidem verbis: „Bentleius pro mori legendum suspicatur: mors. Coniectura egregia ac palmaris! Quid, quaeso, absurdius cogitari potest, quam sententia, quam praebet lectio mori? Qui tandem h. l., ubi de iam mortuis agitur, sermo potest esse de moriendi actione, h. e. de transitu ex vivorum conditione in mortuorum? At mortis nomen optime convenit in hunc locum, mors enim mortuorum intelligenda est status, in quo mortui versantur.” Cett.

Nobis quidem longe aliter visum. Nam quum particula etiam satis declaret non de mortuis solum, verum etiam de vivis sermonem haberi: quis est, quin vel conjecturam Bentleji vel explicationem istam, nisi ineptissima quadam sententia, ferri non posse intelligat? Profecto, si qui cum Klotzio ita locum, de quo quaeritur, interpretentur: „Weil, wenn es auch für die Todten ein Unglück wäre, gestorben zu sein”, etc.; hos cupiam scire quid responsuri sint, si quaesitum fuerit, an vivis mortuos esse miserum putent. Nam si responderint, quod unum potest responderi, idem mortis vocabulum de vivis quidem, qui quanquam non nominantur, tamen, uti dictum est, particula etiam indicantur ita, ut nihil dubitationis supersit, alia quadam vi accipiendum et non statum, in quo versantur mortui, sed impendentem moriendi necessitatem intelligendam videri: tum profecto, cur a librorum lectione sibi recedendum esse existimaverint, vix ac ne vix quidem intelliges. An mori non moriendi necessitatem significat? An moriendi necessitatem etiam mortuis miserum esse posse, propter ea scilicet, quae inde consecutura sint, (i. e. propter miserum aliquem statum, qui ex moriendi necessitate consequatur) negaveris?

Mori autem, si quid video, nihil est aliud, quam quod morimur vel ea hominum condicio, qua moriendum est omnibus, vel moriendi necessitas. Quae si mortuis misera non est, cogitur, ut concedamus, qui mortui sint, eos miseros non esse; si nec vivis, perficitur, ut ne moriendum quidem esse miserum putemus (§. 15. extr.), quod erat demonstrandum.

IX.

Patricidam inter et parricidam quid interesse videatur. De illa verbi forma injusto exsilio e veterum scriptis expulsa.

Nuperrime quum de patricida consulerem Forcellinium, ad alteram formam

parricida sum rejectus, quasi haec duo nomina nulla inter se alia re nisi forma vel meliore vel deteriore differrent. Quod secus est longe. Nam si quis vel patrem vel matrem, si fratrem, si sororem, si filium occidit; si patrem patriae aut patriam ipsam, quae communis est omnium mater, jugulavit, is parricida vocatur; contra si patrem, ex quo genitus est, patricida et est et habetur. Brevi praecidam: parricidam genus hoc universum, patricidam, similiter ut si quis matricidam vel fratricidam vel sororicidam dicat, certam aliquam speciem esse contendo. Illud etiam adjicio, patricidas nonnullorum opinione nonnunquam sine scelere fuisse, quod idem de parricidis dici non potest. Atque id ipsum Tullius quidem *Parad. III, 2, 24.* de Saguntinis probatum ivit. Qui quum parentes suos liberos emori quam servos vivere maluissent, patricidae fuerunt; sed parricidas fuisse negat. Quo loco si cum Lambino patricidae legeris, sententia absurdissima exoritur. Quod aliis in locis contra est, ut patricida retinendum, parricida ejiciendum esse appareat. Ex his, quum non ita pauci inveniantur, afferemus duo, qui praeter ceteros sunt memorabiles visi. Ac primum quidem quum aut Cicero aut aliquis Ciceronis nomen mentitus *Dom. 10, 26.* haec habet: De me quod tulisse te dicis patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? quis est, quin eos, qui hoc loco parricida ediderunt, sententiam ipsam jugulasse confiteatur? Alterum locum *Phil. II, 13, 31.* indicabam, quem Orellii etiam Klotzique, quibus tertius accessit Madvigius, cui vigere quidquam simile negant aut secundum iudicio, sic prodiderunt: confiteor eos, nisi liberatores populi Romani conservatoresque rei publicae sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse, siquidem est atrocius patriae parentem quam suum occidere. Quam inani aut nulla potius sententia! Sed quoniam est atrocius patriae parentem quam suum occidere, ideo plus etiam quam patricidas, nimirum parricidas esse confitetur. Ergo plus etiam quam patricidae qui sint, et per se patet et ex illis, quae sequuntur, manifestum est; plus quam parricidae esse qui potuerint, quaque ratione cum hoc, quod tanquam causa aliqua illius plus quam subjicitur, atrocius esse patriae parentem quam suum occidere, parricidae consentire posse videantur, equidem non exputo. Itaque censeo patricidas, parricidis, a quibus expulsi sunt, minus atroces, restituendos.*)

Aliud variatae cum obscurata origine significationis exemplum officiumque offertur, quorum haud scio an similis quaedam ratio intercedat.

X.

Emendatus Nepotis ex Hannibale locus, ubi de repentino visu hostibus objecto agitur. *V, 2.*

Omnes edd. ita: Quo repentino objectu viso tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus.

Nova quadam atque inaudita vi hoc uno in loco objectum pro visu (*Erscheinung*) haberi voluerunt: quod ita esse nobis, ut sumus in his rebus increduli, non persuadebunt. Sed quum objicitur visus hic quidem, ut in re inopinata, maxime com-

*) Patricidas h. l. recte Lambinus. Sed temere dedisse et cetera arguunt, tum praecipue, quod paucis interjectis verbis, quum *Si parricidas verissimum sit, idem Si patricidas novavit.*

mendetur, objectus videtur ne Latinum quidem esse videatur, pro certo sumpsimus ab ipso Nepote quo repentino objecto visu fuisse scriptum.

Quae conjectura quum per se non improbaretur, tum vero aliquid etiam ex Ed. Ultraject. accepit praesidii, in qua pro tralatitio isto objectu nostrum objecto exstare invenio. Sed praeter hoc visu legendum esse, quod illa editio non habet, vel ex eo efficitur, quod, nisi alicubi exstaret litera u, in alienum verbum non irrepsisset.

Causam autem corrupti loci hanc videmur reperisse, quod rescribentium animi a veritate interjecto inter duos Ablativos Participio abducerentur. Quae tamen verborum collocatio, ut a vulgari consuetudine recedit, ita minime otiosa est neque a Corn. Nepote non adoptata. Cf. Timoth. III, 4: compluribus amissis navibus; Timol. V, 4: tota celebrante Sicilia.

Denique illud etiam *ὡς ἐν παρόδῳ* monemus, Perf. Conj. sit ausus h. l. ab Imperf. aunderet ita differre, ut illud *κατὰ δύναμιν* Germanicam voculam wirklich („dass es wirklich Niemand wagte“) una complecti putandum sit. Idque ex iis, quae de hujus Perfecti usu scite admodum et prudenter Haasius ad Reisig. adn. 480. disseruit, necessitate quadam consequitur.

XI.

De duobus quibusdam locis ejusdem auctoris non satis recte distinctis.

1. Themistoclis illa (VII, 4.) sic a prioribus accepta prodiderunt interpretes:

„Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent, deos publicos, suosque patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse“ —

publicos scilicet deos, qui ad omnes aequae pertinerent Graecos totaque colerentur Graecia, sevocantes atque separantes non a penatibus solum, qui domorum sunt et familiarum, verum etiam a patriis diis, qui, patrum traditi religione, ad ipsos Atticos pertinerent colerenturque in Astu. Ita enim censebat itaque disseruit Bremius. At vero, si qui dii colantur in urbe, hos ipsos eosdem publice coli, vel, quod idem est, publicos deos et patrios, item suos, i. e. privatos, ac penates unos esse et eosdem non est profecto, quod multis verbis demonstrandum esse videatur; digitulo monstrasse sat erit. Ergo deos publicos suosque hoc, quod est appositum patrios ac penates, et illustrari quodam modo et accuratius constitui ac definiri judicamus, praesertim quum hoc Pronomen hoc loco positum alia, quam nos diximus, ratione neque ut consentaneum accipi neque defendi possit ut rectum. Quae ne sententia disperdatur ac dispereat, ita locum, de quo quaeritur, distinximus: „Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent, deos*) publicos suosque, patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse“.

2. Alterum locum (Att. V, 4.) a superioribus interpretibus sic acceptum talem Daehnii, Bremii, Beneckii, all. aut fecerunt aut passi sunt: „et id, quod erat difficillimum,

*) Beneckius et Klotzius, Cicero Lipsiensis, ex optimorum librorum auctoritate dederunt „deosque“, nihil, ut videtur, mutata, sed paullo velut articulosiore sententia.

efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula", quasi id Objectum sit aliquod ex efficiendi verbo aptum, cui, quae sequuntur: „ut — copula", explicationis causa sint addita. Quae quidem oratio tali modo concisa nescio quid habet languidum atque impeditum, idque tale, quod a linguae Latinae natura et proprietate procul abhorreat. Itaque nos Pronomen, id quod ipse Daehnius videtur velle, quamvis esse lapsus in distinguendo loco appareat, *παρασύνθεσως* faciendum esse existimamus hoc modo: „et, id quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos etc.

Quanquam aliis in locis id ipsum contra depono. Sallustii quidem illa: ratus id, quod negotium poscebat, Jugurtham laborantibus suis auxilio venturum, Jug. 56, 1.; ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et comitatum iuvenum exercitum, Jug. 47, 2.; haec dubito an confidentius quam verius auctore, ut videtur, Fabio Norimbergensi ita immutaverit Kritzius: ratus, id quod negotium poscebat, Jugurtham etc. — ratus, id quod res monebat, frequentiam etc. Nam quae est ratio eorum, quae Livius habet I, 27: qui viderant, id, quod ab rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant; eandem in Sallustianis illis obtineo. Nihil autem perversius, quam eodem modo et ratione diversissima quaeque tractantem aut omnibus locis aut nusquam id quod commate velle disjungi.

XII.

Restitutus Velleji locus, qui est de Lysippo Alexandri M. jussu statuas equestres fabricato. I, 11, 4.

„Cujus turmae hanc causam referunt, magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum faceret statuas, et ipsius quoque iis interponeret". Haec quanquam ita scripsisse Vellejum testis est editio princeps, testis est Amerbachius; Freinshemius tamen et Salmasius imperasse Lysippo, sing. tal. auctori oper. novaverant, eamque Kritzius quidem emendationem vocavit. Non multis enim precibus extorsisse Alexandrum atque impetrasse a Lysippo statuas illas, sed imperasse, i. e. fieri voluisse, ut per se probabile sit, ita patere testimonio Arriani I, 16: *Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον, καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἐστάσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι.*

Quod longe secus est. Nam primum quidem non intelligitur, cur Lysippum, singularem talium auctorem operum, etiam rogatum ab Alexandro statuas fecisse non credamus, praesertim quum ipsi minorum operum artifices saepissime sint fastidiosiores inventi. Arriani autem testimonio id, quod Vellejus habet, vel maxime confirmatur. Qui si nihil aliud quam *Ἀλεξάνδρου κελεύσαι* scripsisset, tum fortasse aliquid ex eo Freinsheimii et Salmasii auctoritatis accederet; quum vero hoc dicit, statuas illas Dii fuisse positas, ergo *Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος* (hortante Alexandro) Lysippum fecisse eas, quid aliud quam Alexandrum a Lysippo, ut faceret statuas, impetrasse significavit? Non ergo emendatum conjectura vendibili, sed male vitiatum Velleji illud reperies.

XIII.

Quo jure quamque recte Vellejus de Metello, qui semel triumphavit ex Macedonia, plurali numero „excellentis triumphos” praedicasse videatur. I, 11, 6.

Quia de pluribus Metelli triumphis non constaret, Lipsius malebat excellentem triumphum. Janius cum Sigonio in fastis ad a. 611. statuit plures sane Metelli triumphos fuisse, quorum memoria vel casu interciderit, vel jam antiquorum scriptorum tempore incerta fuerit. Kritzio autem Erfurtensi, ceteris scriptoribus omnibus in uno Metelli triumpho consentientibus, probabilius videtur Vellejum non satis fida memoria in errorem incidisse.

Contra ea Ruhnkenius Grutero praeunte vulgatam ferri posse censet, si statuas Pluralem ad augendum triumphis splendorem pro Singulari esse positum. Quod ita verum judicamus, ne de superlative quadam vel oratione superante veritatem suspicere, sed scriptorem per pluralem numerum quodam circumlocutionis genere non ineleganter nec nove unum dixisse triumphum concedas.

Nam quod in propriis nominibus saepissime fit, ut Plurali, ubi minus refert, quis sit ille, i. e. quod sit nomen ejus, quem dicimus, quam qualis sit, totum genus eorum, qui illius sint similes, significetur: ut quum, quem nos einen Scipio, einen Maximus volumus, Scipiones vocamus vel Maximos: id ipsum non dubitamus quin cadat in cetera. Sed illud, quoniam ambiguum esse aut nusquam aut rarissime potest, omnes sciunt; hoc in iis etiam locis nonnullos praeteriit, qui vix quidquam patiuntur ambiguum. Atque ex hoc esse numero existimantes hunc, quem proposuimus, locum illud excellentis triumphos non plures, sed verbo, si quaerimus, omnes, *) re ipsa unum aliquem esse triumphum confidimus. („Denn abgesehen von einem so glänzenden Triumphe.”)

Hoc illud, quod usitatissimum poetis apud Virgilium quidem egregie Wagnerus Dresdensis perspexit.

XIV.

Roma urbs hoc ordine an uspiam dictum esse reperiat.

Notissima res est a scriptoribus plerisque omnibus urbem Romam, non inverso ordine Romam urbem dici, ejusque rei causam promptissimam hanc fuisse cernimus, quod urbs ipsa per se, „per eminentiam”, quod dicitur, Romanorum intelligeretur, atque illud adjunctum aut otiosum plane aut certe non necessarium esset. Sed quod scribi non fuerit moris, idem dici non potuisse non crediderim. Nam cur ab usitatissima illa quidem urbis significatione recedere aliquando non licuerit, non intelligo. Itaque etiam Vell. I, 8, 4. „Romam urbem Parilibus in Palatio condidit” sine controversia legitur.

*) Hoc dico, excellentis triumphos, si verbo institeris, non aliquos triumphos, sed omnes, sed totum hoc genus repraesentare.

Hoc, quum apud Reisigium Vorless. p. 825. de ea re falso praeceptum esse et ne ab Haasio quidem, viro summo, correctum vidissem, notandum putavi: simul ut monerem grammaticos, ne, si quid minus aut cognitum esset aut usitatum, id totum abjudicarent atque ejicerent. Quo ex genere dubito an illud sit, quod reperire cognomen damnarunt. Nam cognomen quidem reperire, ut nemo veterum dixerit, tamen ab eo, qui reperiendi vim eam, qualis est Cic. de Div. I, 10, 26., penitus perspexerit, suo loco non perperam neque ineleganter dicitur.

XV.

Adjectivum dignus quaeritur unde et ortum sit et unde Ablativum adsciverit. De dicendi dicendique cognatione additamentum.

Quem ad modum *σεμνός* a *σέβομαι*, *στηγνός* a *ΣΤΥΓΩ*, *δεινός* a *δειδω* factum est, ita a *ΔΕΙΚΩ*, certissima nonnullorum verborum origine, *δεικνός* vel emollita litera consonanti *z* in *g*, ut in *ζύκνος* aliisque factum videmus, dignus fluxisse persuasum est.

Quae si est vera sententia, primum consequetur Adject. illud non, ut vulgo fit, correpto sono dingnus, sed producta vocali di-gnus enunciatum fuisse. Deinde alterum hoc elucet, dignus aliqua re quum proprie sit qui ea insigniri meruerit, Ablativum hunc instrumenti eumque talem haberi, qualis est, quum suspectus societate Vell. II, 35, 4., suspectus dubia fide Valer. Max. VII, 3, 7., suspectus contumacia Curt. VIII, 6, 1. dicitur.

Eodem illo, quo „dignus”, Graecorum fonte dicendi verbum cecidisse ipsa lexica docuerunt; illud vero non docuerunt, disco quoque cum Perfecto didici plane ejusdem esse originis et significationis, nisi quod inchoandi vi differt. Itaque si dico, quod in vetustis antiquitatis monumentis deico scriptum legitur, proprie est ostendo, qui in eo versantur vel id agunt, ut aliquid ostendere atque in lucem proferre possint, discentes audiunt; utque alia cognata verba, ex quibus exempli causa pariendi et parturiendi memoramus, sic haec quoque inter se opponuntur saepissime: „dum discimus, non quum dicimus”, Quint. VIII, Pr. 29. aliisque plurimis locis.

XVI.

Αἰθωνα λέοντα, ab Homero non semel memoratum, qualem tandem intelligendum esse videatur. De nomine *λις* recte interpretando corollarium.

Αἰθων nesciri docent grammatici utrum ardentem aliquem colorem, an animi ardorem declaret. Illud qui tenent plurimi, colorem aut fulvum, rufum, russeum aut nitorem eum cogitant, qui sit pinguium corporum ac perpastornm. At enim pinguis nitorem corporis eo vocabulo nullum significari, nemo prudens non videbit; neque vero ad pellem spectare vocabulum indicio sunt, quae II. X, 23, 24. leguntur:

ἀμφὶ δ' ἔπειτα δαφροινὸν ἔεσσατο δέσμα λέοντος,
αἰθωνος, μεγάλοιο —

Haec enim ipsa quum perpenderit, quis est, quin *αἰθωνα λέοντα* nihil velle aliud nisi ardentem animi statim aut oblaturus sit quaerenti aut accepturus oblatum? — nisi forte halucinatam poetam aut sanguineam, i. e. sanguineo colore pellem leonis fulvi fecisse, aut, si attenuata vera eorum Adjectivorum vi utroque idem fere depingi malueris, post sanguineam pellem eodem fere colore leonem dixisse statuimus. Atque pari modo et *αἰθωνα ἄνδρα*, qualis apud Sophoclem Aj. 221. praedicatur, et *αἰθωνας ἵππους* equos virosque ardentis ego, non fulvos ferri sentio.

Sed quaestionem, quam habemus, leoninam non dimittam, quin de vera vi et significatione nominis *λίς*, apud Homerum celebratissimi, verbo expediam: quae non Vossium solum, non mediocrem interpretandi artificem, videtur effugisse, verum etiam Passiviorum Rostiorumque diligentiam praeteriit. Neque enim *λίς*, sicuti illi praecipiant, Germanorum est Löwe, sed quem ad modum lea a leaena, sic *α λέων λίς* discernitur omnique ex parte, si quid mei iudicii est, nostro Leu respondebit.

Ad p. 8. additamentum.

II I, 598. Zenodoti, Aristophanis, Aristarchi consensu *οἰνοχόει* pro *ὄνοχόει* legendum esse eandemque formam IV, 3: *ρέκτα οἰνοχόει*, i. e. *Φοῖνοχόει*, revocandam videri monuit frater Augustus Nauck, Aristoph. Byzant. p. 33.

Ad p. 15. additamentum.

Eundem, quem nos dicimus, Pluralis usum tetigit idem fr. in eodem illo libro p. 49., atque ipse quidem satis recte ait *ἀόλοτος* hunc Pluralem dici, per se aut contentim aut *ἀνθητικῶς* dictum negavit.